

MICHAELIS

STIFELII ARITHMETICÆ

LIBER TERTIVS, DE NUMERIS

Cofficis, & de regula eorum.

*id est, de perfecta arte calculandi.*De regula Algebrae, & de partibus eius,
earumque declaratione.

Caput I.



ALGEBRAE regula talis est, ut integræ arti calculandi, merito conferri possit: imò eidem arti collata, longe eam præcellere, hac mea tractatione probabo. Complicat autem regula hæc, omnium regularum aliarum exempla, viresque singularum superat uniuersas, nisi Detri regula sit excipienda, cuius opera hæc in multis indiget. Quamuis autem regula Falsi miram habeat latitudinem, comparata tamen ad Algebrae regulam, uix eam collationem meretur, quam centrum in circulo signatum, ad circumferentiam habet. Certum est autem regulam Falsi, formatam esse iuxta formam regulæ Algebrae, quemadmodum regula Algebrae, formata est iuxta formam regulæ Detri. De regula Alligationis (quam etiam Algebra complicat & perfecte complet) hoc uideo, quòd præter Algebram sit formata. Cæterum regulæ Societatum, Diuisionum, Mercimoniorum, Commutationum, licet à regula Detri fluant; tamen regula Algebrae eas perfici atque compleri, ostendam exemplis plurimis, quæ inferius suis locis adducam. Regulas uero has, Aequalitatis, Separationis, Transuersionis, Commixtionis, Positionis, Legis, Augmenti, Decrementi, Pluris, Residui, Collectionis, & alias

II in huius